DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

1639

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XIII. NOVEMBRIS MDCCXXI.

M. JACOBO-PHILIPPO DAVIER DE BREVILLE, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Peſtis remedium, Ignis?

O LUGENDAM mortalium conditionem! his ab ortu, ad interitum uſque, illacrymabilis omnigenum morborum cohors inſtat ac imminet. Quàm ærumnarum etenim fœcunda infantilis ætas! quàm formidoloſam malorum Iliadem, pravi docilis juventus, rerumque non naturalium rectum evagans ordinem, cervici ſuæ aggerit? quis plurima fando enumerare valet, quæ ſenes circumveniunt incommoda? Et licet ætas quæque ſuos patiatur manes, innumeræ tamen morborum facies, febreſque indomitæ indiſcriminatim dant inſuper ſtragem. Harum truculentiſſima, precibus medicaminibuſve flecti indocilis, nec ætati parcens, aut dignitati cedens, Peſtis; quæ furibundæ belluæ inſtar, populoſiſſimas urbes civibus exhaurire trepidat, regioneſque integras in ſolitudines amat tranſmutare. Dirâ ſymptomatum ſtipante catervâ incedit hæc luctuoſa lues. Primo levis horror quatit ægros; mox viſcera torrentur. Difficilem ſæpius trahunt ſpiritum, interdumque gemitu gravem. Aut gravis ſtupor oculos urget inertes, aut flammantia torquent lumina. Vigiliis, delirioque vexantur. Incerta febris artus depaſcitur. Aridæ fauces ſiti languent inexpugnabili. Motibus convulſivis, tendinumque ſubſultibus tentantur. Pulſus à naturali vix abeſt, vel adeſt debilis, parvus & celer, nonnunquam inæqualis, vel etiam intermittens. Urina ſanorum ferè ſimilis, vel cruda & tenuis extat, vel tincta, turbida, flammea. Quibuſdam vires deficiunt omninò, alvuſque fluxu colliquativo moleſtatur. Sudor incertus & fœtidus frontem & tempora ſequitur. Inguina, axillæ aut aures bubonibus, variæ corporis partes carbunculis infeſtantur. Maculis rubicundis, purpureis, violaceis, nigris partim, vel universè deturpatur cutis. Tam miſerandæ luis cauſam inquiris? fruſtra ſyderum obitus & ortus ſpecularis. Neque enim quiſquam tam prudens author tibi perſuadeat, ſyderum influxus poſſe fieri peſtiferos, & ad nos uſque deferri. Quî etenim (cum intercapedo ſtellarum à terrâ ſit multarum millenarum diametrorum terræ) illarum fuligines & inquinamenta ad hanc, vel illam Provinciam poterunt deduci, quin univerſali ſimul tabo inficiant totum terræ mariſque ambitum, unius centri minimi ſpatium, vicemque ſubeuntem? An in aëre & per aëra canalem vel tubum, ad hunc vel illum terræ angulum, directum & immotum gratis finges & ſuppones? At quid, ne loca vicina inficiantur, proderit omnis Magiſtratûs providentia, ſi ſubter eundem meridianum, aut cœli aſpectum ſitæ ſint? Nonne Medicorum quoque irritus & fruſtraneus labor? quî etenim peſtilens venenum, cœlitus demiſſum, futilibus è terrâ productis remediis vinci dolens & renuens, poterunt debellare? Sed ſodes, cur Saturnus vel Mars nobis peſtiferus, potius quàm Luna, millenis aliquot milliaribus vicinior? cur toto, latiſſimoque Sinarum imperio peſtis inſolita & viſa numquam, cui tamen idem Saturnus, idemque Mars, & æquè potenter, qui nobis, præeſt? Noli igitur cœlos Peſtis authores facere, ut inſcitiæ clypeum prætendas tuæ: ſed miaſmata venenata, contagii capacia, è terræ viſceribus, vel ex aquarum corruptelâ producta, aut aliundè, per fluentem aëris undam, delata, veram tam diræ cladis cauſam agnoſce; ſicque, quidquid illa immutare, & perimere poterit, Peſtis remedium fateâre.

EXHALATIONIBUS vaporibuſque oppletur atmoſphæra, quæ nitroſis, aqueis, tartareis, alcalinis, ſulphureis, omnigeniſque particulis conſtant & componuntur. Quî etenim tonitrua mugirent, rutilarent fulgura, fulmina micarent, grandines gignerentur? vapores non-niſi raritate & denſitate; exhalationes toto quandoque cœlo differunt, pro ſoli varietate per quod divehuntur. Sic multùm intereſt an per mare, an per terram, hancque amœnis floſculis lætabundam, cadaveribuſve ſquallidam; an per lacus & paludes, an per rivos & flumina transferantur. Ex omnimodis quippe concretis emanant effluvia, quæ in immenſum aëris mare diffuſa, paſſim circumvolitant, eumque variè inficiunt, pro partium, quibus conſtant, inſenſibilium figuris, animalibus, quibus occurrunt, futura benigna aut malitioſa. Qui aërem variis particulis imbui dubitat; nitrum, tartarumve, aëri expoſitum, operanti pretium, pro opere, dare reſciſcat: antimonium diaphoreticum vulgare, vim emeticam ſæpius ex aëre ſibi reſarcire: colcotharque vitrioli, aëri expoſitum, priſtinam vitrioli naturam, denuò recuperare; ſic terra virginea Hentici *De Rochas*, poſt multas elixiviationes, antiquum ſal ab aëre recipit, thermarum diuturnitatis ortus & rationes tradens. An exactius ſpecimen exoptas? ampla, hermeticè clauſa, lagena, auræ dudùm expoſita, aquam haurit: ſal tartari aëri datur, ut colliqueſcat, nullis niſi aqueis liquabile. En aqueas. Vis igneas? reperies ſi mercurium ſublimatum album in Sole apricès, vitro licèt exactiſſimè occluſo, rubrum acquiſiturus, ac ſi *Joannes de Vigo* ſuum pulverem ſuper prunas rubefeciſſet. Quin etiam in aëre, à quo animalium pendet anima mortalis, diverſarum hujuſcemodi anatomorum præſentiam neceſſariam evincit experientia. In *Tanariſſâ* etenim monte, exanimem reddebat acoſtam aëris tenuitas. Lippis quoque & tonſoribus innoteſcit jam *Boyliana* machina quâ etiam λειποψυχίας gradus, in animalculis, quis commenſuret. At enim, quemadmodùm has res aërem vitalem conſtituere, eique neceſſariò & ſemper ineſſe, liquidò conſtat; ſic etiam à malignis rerum aut locorum effluviis infici, animalibuſque reddi inſalubrem, morbidum & exitioſum. Et ut ſaporum, odorumve diverſitates, à particularum ſalinarum aut ſulphurearum figuris pendere videntur; ita ἀπόρροιαι quæcumque, ſenſoriis intactis, recta in humores & ſpiritus tranſeunt, ſeſeque inſinuant, & ob partium varios σχηματισμοὺς, effectus quoque diverſos ſortiuntur. Sic quædam ſanguinem fundunt, quædam æſtum febrilem excitant: alia liquores coagulant, aut quandam eis ſtagnationem, viſciditatemque conciliant. In ſpiritibus etiam quædam motus inordinatos cient, ut in hyſtericis ſuaveolentia. Alia eoſdem figunt, cujuſmodi ſunt, quæ à torpedine exhalant, ſtuporemque piſcatoris lacertis inducunt: nonnulla hanc vel illam corporis partem particulariter afficiunt, ut cantharides veſicam, meatuſque urinarios; opium aut hydrargyrum ſubactum, ore ſumpta, vel cuti applicata, hoc ductus ſalivales, illud cerebrum ſua φύσει petunt & moleſtant. Sunt igitur in aëre quædam, quæ odore percipiuntur, alia quæ per canes ſolos diſtinguuntur, & alia denique omnis odoris expertia, licet nec veneni, nec contagii: ſic à quercetis, poſt ſolſtitium æſtivum, exhalat occulta aporrhæa, quæ inſuetum vultum atque collum, pruriginoſis puſtulis frequenter inficit.

AD artis Medicæ perfectionem anhelanti, cura ſit, ventos & varium cœli prædiſcere morem. Namque à flatu originem ducens vita ſine eo conſervari nequit. Et uti ſpiritus mortalibus vitæ, ſic morborum ægrotis cauſa. Summa igitur ventorum præſtantia, imò neceſſitas; queis à ſummo rerum Opifice datum, mobilem aëris humorem inquinatum à purgamentis, quæ aliundè contraxit, ſcoparum ad inſtar everrendo, liberare, malignamque illius diatheſim pigritiâ, aut aliundè accerſitam, agitando corrigere & immutare. Nec ſum animi dubius, quoſlibet ventos, hac purgandi virtute, minimè, ex æquo eſſe præditos. Præ cæteris certè ſeptentrionali & favonio in noſtro hæmiſpherio, ſalubritatis palma debetur; nihilo tamen minus præſtat, quemlibet eorum, quàm nullum, habere. Sic quoque in fulgure & tonitru, ut ut pleriſque formidoloſo, non temnenda latet utilitas. Vehementi quippe & latâ aëris concuſſione miaſmata noxia, ſi quæ inſunt, ex ejuſdem ſinu poſſunt excuti, aut igne fulguris perpurgari. Imitetur ergo naturam Medicus, quem digna manet profligandæ Peſtis gloria. Miaſmatis peſtilentibus inquinatum aërem, analogâ ratione, emendare meditetur. Frequentes pyras, per loca peſtilenti tabo infecta, accendi curet. Luculentis ignibus, è lignis reſinoſis, ſulphureis, odoriferis, præcipuè verò crebris tormentorum bellicorum, bombardarumque exploſionibus, aëris corrupti mutationem moliatur. Et certè, præ cæteris omnibus, noxarum peſtilentum eluere efficax pulvis pyrus: nec ulla magis præſens datur fortuna laborum; ſive quod acido ſulphuris & nitri omnis ab aëre corruptela & fracedo eliminetur, ſive quod effœtus aër, nitro de novo imprægnetur; indeque occultas vires, novumque vigorem elaſticum concipiat: ſeu illi omne per ignem excoquitur vitium, atque exulat morbidus humor: ſeu denique, quod cùm diverſæ, quæ in aëre hoſpitantur particulæ, inerti ſtagnatione neceſſariò putreſcentes, illum vitæ inutilem, imò exitialem effecerint; validâ hujuſmodi concuſſione, magnam ſuſcipiant alterationem, novamque formam acquirentes, ex peſtiferâ conſtitutione, in tertium quid, juvantibus acidis ſulphuris & nitri moleculis, converti & migrare valeant. Quantùm autem, & quàm latè, tormentorum bellicorum ope, moveatur aër, fragor machinarum, ad centeſimum lapidem uſque, à prælio navali exauditus, ſatis probat.

JAM verò ſulphur acido imbui quis negaverit? Hoc acidum Θεῖον nomen ſulphuri κατ᾽ ἐξοχὴν conciliavit: hinc Peſtis Anteſignanum Alexipharmacum audit. Solum enim ſulphur, inter creata corpora, reſiſtit fracedini & Peſtis contagio; quia ſolum ſulphur, inſtar ignis, omnem fracedinem, tam in doliis, quàm ubicumque locorum arcet, deletque cujuſvis attactûs & odoris veſtigia. Sic quoque ſulphur tollit omnem pellis ſcabiem, quia contagii inimicum. Etenim cùm in univerſo nihil promptius ignem concipiat ſulphure, quia merus veluti ignis eſt; non mirum, quòd ſulphur demonſtret proprietates ignis, quæ ſunt, omnia comburere, nec contagio infici. Quare loca, peſtifero inquinata contagio, ſulphure ſuffiri, juſſit Hyppocrates, qui ſylvas integras combuſſit, ut acido ex lignorum oleis erumpente Peſtem anteverteret, vel abigeret. Sic Argon quidam Medicus Athenienſis Urbem à gravi Peſte liberaſſe dicitur. Spiritus enim, malignitatis invectores, acido domantur, figunturque. Idipſum in Gandavenſi cataractâ obſervare fuit; ubi integra Neapolitana legio Peſte periiſſe perhibetur, exceptâ unâ Germanorum cohorte, quæ induſia, ad fugandos pediculos, pulvere pyrio infecerat. Porrò malignorum morborum, eoſque ſtipantium ſymptomatum cauſa, ſoli liquidorum viſcoſitati videtur adſcribenda. Subita namque virium proſtatio in peſtiferis, oritur, quia ſanguis cæterique liquores miaſmatis peſtilentibus, velut inviſcati, lentiori motu per canales deferuntur, longioreſque nectendo moras, diſſipatis ſpiritibus refocillandis, juſtam denegant materiam: ex quorum defectu, Leypothymiæ. Sic quoque ex nimium inſpiſſatis, & extra alveolos ſtagnantibus liquidis, non unius generis bubones, anthraceſque pullulant. Quemadmodum autem, perverſæ hujus conſtitutionis curam, mediis elaſticitate quadam, & penetrandi energiâ donatis abſolvendam, Phyſicorum ratio demonſtrat; ſic & Hiſtoricorum congruit fides & relatio. Ægyptii namque multis longis, & contagioſis morbis, quotannis, à menſe Martio, ad feſtum Sancti Joannis, plerumque conflictantur: circa quod tempus terræ fruſtum aëri exponunt, ex cujus aucto pondere, ab aëre illi adfricato, ſolatium ſibi prædicunt: quia, quo ille tractus patet, nitrum (pretioſa gutta, ros, vernacule *Elthalim*) ſupernè decidens, maligni miaſmatis ferociam ſic compeſcit, ut ejus adventu, promptè & univerſaliter ſanentur, quotquot Peſte decumbunt; & ſani, ejuſdem roris beneficio, ab eadem lue præſerventur.

FACESCANT ergo quotquot Theriacam, jam nimiâ ſimplicium farragine luxuriantem, novis adhuc, pro lubitu, infarcire ſatagunt. Quaſi Antidotus futura præſtantiſſima, quæ mille ſimplicium congeſtum continet acervum. Faceſcant quoque, qui, ex innumeris authoribus, optima quæque alexiteria corradentes, ſtolidæ plebi, ſe ſe atrox venenum certò profligaturos, aut ſaltem ab eo præſervaturos, audent aſſerere. Valeat etiam Amuletorum, Periaptorum, Sigillorum, & Taliſmanicorum *Gamaheu* genus omne, de quibus ad ſanitatem tuendam, morboſque curandos, effectus, Stentoreâ voce, prædicantur innumerabiles. Has aniles nugas, Chaldæi in credulum popellum primò introduxêre; Ægyptii ſuperſtitioſi fovêre; Græci λογοδαίδαλοι imitati fuêre; tandemque per otioſos Monachos, captandis & emungendis mulierculis, ſemper inhiantes, ſuperſtitioſo ſæculo, apud Chriſtianos ſunt propagatæ. Sed harum pudeat Medicum rationalem. Nugivenduli Cabaliſtæ, cæterique deridendi, qui hos Caractheres ſympatheticos, Aſtrales ſignaturas, Arrham cœleſtium impreſſionum tantoperè extollunt. Hos, inquam, Medicus naſo ſuſpendat adunco, unicè ſecurus, Aſtra non repueraſcere, ut his crepundiis gaudeant; nec Oeſtro quodam moveri & percelli, ut cum Jove mœcho, è cœlo deripi poſſint, & in hæc terrena, ad cujuſvis nebulonis nutum, deduci. Eheu! dolendum ſanè, quantum ab his luridis medicaminibus, humano generi ſit ludificatum! dolendum, quantas infida hæc auxilia deluſerint hominum myriades & expectationes! Ratum ergo maneat ſolum ignem Peſtis deſtructionem continere: quia ſolius ignis proprium conſumere Peſtem & venena; quia ſolus malignam auræ vitalis diatheſim valet rectificare & corrigere, peſtilentique fermenti ſemine aërem ſpoliare. Quid ſi illis aſſentiamur, quibus perſuaſum eſt, in peſtilentiali conſtitutione, aërem ipſum putreſcere & verminare; aut variorum inſectorum genera, cibum ovulis ſuis minimis conſpurcare, aëremque innumeris hujuſcemodi *Acaron* inſenſilium examinibus ſcatere; & ab iſtis morbos contagioſos propagari? An quidquam, ad perpurgandum aërem, ab illâ verminoſâ proſapiâ igne potentius, cujus proprium ſemina abſumere, tranſmutare & deſtruere?

Ergo Peſtis remedium, Ignis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Henricus Beſnier.

M. Joannes Beſſe, Medicus Domûs Regiæ.

M. Antonius de Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ & Botanices, in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor.

M. Joannes Bapt. Sylva, Sereniſſimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.

M. Joannes - Baptiſta - Thomas Martinenq.

M. Franciſcus Pouſſe.

M. Philippus Caron, Scholarum Profeſſor.

M. Joannes Gelly.

M. Claudius Burlet, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Hiſpaniarum Regis olim Medicus primarius.

Proponebat Pariſiis THOMAS-RENATUS GASNIER, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1721, à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.